

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

# BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0170

Sabato 18.03.2000

## LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'EM.MO CARD. EDUARDO MARTÍNEZ SOMALO IN OCCASIONE DEL 50° DI SACERDOZIO

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'EM.MO CARD. EDUARDO MARTÍNEZ SOMALO IN OCCASIONE DEL 50° DI SACERDOZIO

Pubblichiamo di seguito la lettera che il Santo Padre ha inviato all'Em.mo Card. Eduardo Martínez Somalo, Prefetto della Congregazione per gli Istituti di Vita Consacrata e le Società di Vita Apostolica, in occasione del 50° di Sacerdozio:

Venerabili Fratri Nostro

**EDUARDO MARTÍNEZ SOMALO**

Praefecto Congregationis Institutorum

Vitae Consecratae et Societatum Vitae Apostolicae

Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinali Camerario

Iosephi beati, beatissimae Mariae Sponsi, sub patrocinio faustissime quidem inceptum tuum, Venerabilis Frater Noster, sacerdotium pergit hos iam quinquaginta continuos annos claris erga Christum eiusque Ecclesiam effulgere meritis ac virtutibus apostolicis coram universa ecclesiali communitate eminere.

Quem ad modum Decessores Nostri immortalis memoriae pridem fecerant, Nos quoque inde ab initio dotes animi sacerdotalis tui ac laudes ingenii in diligentissima presbyteratus atque episcopatus tui perfunctione non tantum aperte agnovimus, sed et in totius Ecclesiae emolumentum commodumque spiritale advocavimus, cum vixdum supremi pontificatus officium ingressi adiutorem te ipsum ac consiliarium prope Nos adstare voluimus in Substituti Secretariae Status novem annos statione, cum sacro dein Patrum collegio Purpuratorum adnumerari censuimus, cum idcirco prius Cultus Divini et Disciplinae Sacramentorum gravissimis sane negotiis veluti Praefectum iussimus efficaciter praeesse ac postremo superioribus his octo annis causas vitae consecratae necnon societatum vitae apostolicae per orbem sapientissime pertractare. Quam amplam Matris Ecclesiae fiduciam de te minime fefellisti, quin immo ipsius Camerarii Sanctae Romanae Ecclesiae auctoritate cumulavisti

et dignitate.

Sed praeter haec luculenta prorsus omnia signa unice aestimationis Nostrae hoc ipso tempore aliam maiorem quandam gratulantis mentis Nostrae significationem ad te quasi praesentes Ipsi deferre cupimus propter eiusdem sacerdotii tui aureum iubilaeum, quinquagesimum nempe illius natalem, qui quotannis, Dei providentis beneficio, feliciter in fidelis ac prudentis servi Iosephi sanctissimi, exemplaris videlicet tui, incidit sollemnitate. Mansurum igitur hoc habeto Nostris de manibus laetitiae Nostrae documentum perscriptum de ministerii fructuosissimi tui diuturnitate pluribus in Apostolicae Sedis ipsiusque Romani Pontificis muneribus; documentum - inquit - gratiarum pariter Nostrarum ob tot humanitatis in Nos egregiae indicia ac tui consilii, adiumenti, praesidii cotidiani beneficia.

Voces perlibenter gratulabundas has Nostras coniungimus cum omnibus illis laudibus bonisque ominibus quibus operis tui socii, familiae ipsius sodales, tui per terras fautores congruenter studebunt sacerdotii tui fausta primordia, quinquaginta abhinc annos, commemorare. Cum iis ac tota communitate Ecclesiae tuaeque patriae Divinum bonorum Largitorem multiplicatis precibus exoramus diem ut tuum anniversarium, deprecante Iosepho patrono, magnopere illuminet, animum tuum praestanti in tuo sacerdotali opere pro tot christifidelibus ac praesertim nunc consecratis ubique personis consoletur, vires ac valetudinem posteros in annos confirmet utque praemia iam nunc uberrima tibi concedat tantae fidelitatis et navitatis aliaque in Regno reponat.

Esto denique Apostolica Nostra Benedictio hisce cum Litteris amantissime tibi transmissa sensuum Nostrorum validissima nuntia interpret necnon copiosiorum etiam omnipotentis Dei posthac munerum conciliatrix.

Ex Aedibus Vaticanis, die I mensis Martii, anno MM, Pontificatus Nostri altero et vicesimo.

IOANNES PAULUS II

[00627-07.01] [Testo originale:latino]

---